

D F. G.
DISSERTATIO ACADEMICA,
DE
COSILIO CONVERTENDI
IN VERNACULAM SCRIPTA
GRÆCORUM ROMANORUM-
QUE CLASSICA;

CUJUS
PARTEM PRIOREM,
CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. IN
REG. ACAD. ABOËNSI,

PRÆSIDE

MAG. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,

ELOQU. PROFESS. REG. ET ORD.

PRO GRADU

Publice ventilandam siflit

CAROLUS FRIDERICUS JOHNSSON,

VIC. COLL. SUPER. SCHOLÆ TRIV. BJÖRNEBURGENSIS,
In AUDITORIO MAJORI, Die XIII Maji An. MDCCCLXXXVI,

Horis ante meridiem consuetis.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

S:Æ R:Æ M:TIS
MAGNÆ FIDEI VIRO,
DIOCESEOS ABOËNSIS EPISCOPO,
REG. ACADEMIÆ AUR. PRO-CANCELLARIO,
VENER. CONSISTORII ECCLES. PRÆSIDI,
SCHOLARUM PER DIOECESIN EPHORO,
REVERENDISSIMO DOMINO,

*JACOBO
HAARTMAN,*

MÆCENATI ET PROMOTORI
MAXIMO,

SACRUM.

¶. I.

Classicos quos dicere moris est veteres Græcorum
Romanorumque *Auctores*, multiplici adeo laude
florere, ut assidua tractatione dignissimi merito censem-
antur; res est omnibus, qui judicare de eadem norunt,
nota dudumque agnita. Quæ laus, non minus orationis
insignibus plane virtutibus debetur, quam re-
rum ipsarum argumentorumque quæ persequuntur,
dignitati atque præstantiæ. Idem enim, qui Histo-
riæ veteris limpidissimos nobis aperiunt fontes, qui
ingenia moresque prisci orbis ingenue depingunt, qui
literarum artiumque & initia & progressus quasi spe-
ctandos præbent, ac ingenii humani non uno in ge-
nere conatus perspicue exhibent cognoscendos, quo-
rum familiaritate sapientes & Theologicarum & mul-
tarum aliarum cultores severiorum Literarum carere
minime possunt; ii exempla nobis simul orationis re-
liquerunt, & incorrupta simplicitate, & nobili elegan-
tia, & ingenii acumine, ubertate atque spendoré, (ar-
gumento cuivis scriptionisque generi accuratissime ad-
aptatis), & gustus, (quem dicimus), exquisiti integri-
tate, & compositionis harmoniæque svavitatem, præ-
stantissimæ. Non a tironibus profecta sunt, quæ su-

A

per-

perstitia habemus cultissimarum harum gentium scri-
pta, non ab obscuris quibusdam exarata homini-
bus; sed a viris fere concinnata qui & ingenio, & do-
ctrina, & experientia, dignitate etiam haud raro at-
que honoribus, inter suos eminerent, singularique di-
lignantia elaborata, limata, polita, nec lucri cuiusdam
captandi, sed gloriae acquirendæ caussa, ævo cultissi-
mo, quo summum in his gentibus literarum enituit
decus, quoque eloquentiæ in primis studia lætissime
florerent, in lucem publicam emissâ. Ipsa publicandi
eadem atque ad posteros propagandi difficultas, quæ in-
teritum ineptis atque etiam mediocribus plerisque cito
attulit, (egregia quoque multa atque excellentia com-
muni fato involvens), non nisi præstantissima fere ad
nos pervenire sivit, etiam illa tarnen, quod dolendum,
male mulctata. Hæc, quæ literatissimos olim bea-
runt populos, atque ignorantiae & barbariae tenebras,
quæ orbem nostrum obscuraverant, denuo dispule-
runt, diemque Europæ nostræ reddiderunt lætum;
quamdiu in honore usque erunt, lucem quoque lite-
rarum inter nos claram perennemque conservabunt:
quorum autem neglectus, non optima his etiam aut
lætissima portendet fata. Quod vero peregrina atque
dudum mortua composita sunt lingua, ob eamque rem
vel a paucioribus jam legi possunt, vel non nisi ma-
gno exhausto labore multoque consumto tempore in-
telligere ea utiliterque & jucunde tractare valemus;
multi svaserunt, ut in vernaculum illa suum gens quæ-
que

que commode convertenda curaret sermonem: cui confilio avide obtemperantes alii, certatim in linguas cultiores Europæ, plus minusve felici illi successu usi, traducta exhibuerunt. Nec tamen defunt, qui diversam plane ab his sententiam tuentes, minime proficuum vel auctoribus classicis eorumque & laudi & studio, vel ipsis adeo litteris, hoc esse consilium institutumque, defendant. Quæ controversia, cum apud nos quoque, qui parum quidem hactenus cupide ad hos auctores convertendos accessimus, (neque enim vel infelices commemorare attinet superiori ævo factos hujus generis conatus *(a)*, vel affecta tantum quædam haud vero perfecta recentiora specimina, aut decerptarum hinc inde partium quarundam tentatas versiones), moveri incipiat; operæ pretium fuerit eandem diligentius excutere, atque quo loco illorum haberi consilium debeat, qui veterum scripta convertendi hancke industriam commendent, dispicere, quæque inde studiis literarum vel incommoda metuenda sint, vel commoda speranda, paucis significare.

A 2

§. II.

(a) Ex. g. *Titus Livius* försvenskad genom Er. Schroderum, Stockh. 1626, folio; *Curtius* verterad på Svenska af Joh. Sylvio, Stockh. 1695, 8:o; *Terentii Comœdier* på Svenska, Stockh. 1699, 8:o; *Cornelius* på Svenska, Stockh. 1730, 8:o; Bækströms Privat Informator genom *Cornelium Nepotem*, Stockh. 1744, 8:o; *Aeneæ Afwentyr*, öfvers. af Pet. Twist, I D. Stockh. 1748, 8:o; *Ovidii Klage- och Sorge-Bref*, öfvers. af Joh. Wænerberg, Stockh. 1761, 8:o; talesque alii, plus minusve vel infelices, vel absurdii.

§. II.

Qui igitur consilio huic studioque favent auctores veterum vernaculo donandii habitu, ii præter jacturam temporis, linguae addiscendæ Græcæ Latinæque impendendi, molestiamque quam pueris nostris hic mos creat maximam, (literas sæpe omnes iis odiosas reddentem, quemque abolitum igitur multi prorsus cupiunt, tempusque pueritiae & adolescentiae hominum sapientius utiliusque collocandum), illorum præcipue urgent jus atque commodum, quos fortunæ ac rerum suarum conditio a linguarum istarum peregrinarum perdiffici fane studio in pueritia cohibuit, quiue cupiunt tamen ad scriptorum utilissimorum præstantissimorumque familiaritatem sese applicare; cuius generis haud exiguus est in civitate numerus, qui nec iuste nec prudenter ab illorum commercio penitus excludantur: plurimos etiam, qui his auctoribus Græce Latineque legendis haud parum temporis operæque tribuerunt, ad tantam tamen cum iis familiaritatem haud pervenisse observant, ut verum eorum vel sensum facile percipere vel virtutes feliciter sentire, nisi versionum aucti beneficio, valeant. Nec ipsis Græcarum Romanarumque literarum doctoribus haud paucis (eerte qui in scholis pueros instituunt inferioribus), ad auctores sæpe admodum difficiles rectius intelligendos aë libros eorum jucunde & cum sensu quodam voluptatis legendos, hujusmodi interpreta-

tio-

*) , (*

tiones, vernacula bene elaboratas lingua, non multum
allatuos adjumenti, affirmant: qua re ad eosdem pu-
eris quoque felicius explicandos, amoremque illorum
& acrius studium animis discipulorum instillandum,
aptiores fieri. Quir adolescentulos, qui auctores jam
ipsos, a se non intellectos, haud sine molestia ac tae-
dio tractant, si ex hujusmodi versionibus virtutes eo-
rum præstantiamque sentiendi facultatem habuerint,
ad linguam qua scripti sunt originalem eo diligentius
descendam, quo ex fonte dulcius etiam quam e rivu-
lis bibant, excitari atque impelli; nec nocere studio
eorum versiones perite ac eleganter factas, quamvis
verbales istæ ac serviles damnandæ omnino, atque de
manibus illorum, non unam ob caussam, executiendæ
sint. Imo versiones egregie confectas, & exempla
præclara illis exhibere auctorum peregrinorum lingua
vernacula rite explicandorum, & tradi adolescentu-
lis utiliter in manus posse, in sermonem originalem,
exercendi caussa, rursus transferendas; qua opera,
occasione ingenium atque indolem linguæ utriusque
accurate comparandi & percipiendi, adeoque plenius
simul & diligentius utramque cognoscendi, locupletissi-
mam illis præberi. Deinde, ad ipsam excolendam
linguam patriam, quin ex studio excellentissimorum
auctorum scripta in eandem diligenter traducendi, ma-
gna redandatura sint commoda, dubium non esse con-
tendunt; vel nova eam copia verborum phrasiumque
augenda, vel masculo illo robore quo veteres in pri-

mis linguae valent, ei addendo: cum nunc scriptorum nostrorum, qui quidem elegantiores salutari volunt, plerique non nisi ad Franco-Gallicæ delicias & argutias molles, stilum suum conformare conentur, (quam quidem solam sibi addiscendam putant, siue politissimæ hujus gentis litteras cognoverint, omnes se illico ingenii humani dvitias exhausisse hæriolantur, ne Anglorum quidem ac Germanorum litteris consultis); cuius imitationis in præstantissimis etiam auctoribus nostris non nullis haud obscura, neque illa semper probanda, vestigia obseruemus, quaque re factum sit, ut veteri simplicitate vique perdata, mollitiam quandam & languorem a nativa sua indole alienum, vernacula sensim contraxerit. Ipsum præterea gustum, quem dicimus, nostratum, sive pulcri eximiisque sensum illum acrem atque judicium exquisitum, familiaritate cum veterum illis præclarissimis scriptoribus colenda, quorum justæ adeo sunt formæ, sincerique colores, non posse non & rectius fingi & felicius confirmari, asseverant.

§. III.

Quibus, contra, totum hoc minus arridet institutum, iis non defunt quæ his objicunt haud pauca, nec illa levia, rationum momenta. Ut enim taceamus quæ de linguarum Græcæ Latinæque studio diligentissime retinendo, in universum a pluribus accurate disputata sunt, quarum tam arctus est cum tota do-

doctrinæ litterarumque nostrarum compage nexus atque conjunctio, ut sine harum pernicie abjici aboliri que nullo pacto queant (*b*); ut prætereamus, quod inculcatum toties fuit, quæ rationi litterarum Græcarum Romanarumque docendarum perversæ ac socordi adscribenda sunt incommoda, (unde & molestiæ pueris devorandæ magna pars, & tarditas nimia progressum in hoc studio, imperfæcta que ejus cognitio, imprimis pendet), ea ipsi harum linguarum addiscendarum tribui instituto haud debere: primum, frustra ac stulte harum litterarum elementis tractandis illos pueros detineri monent, quos tamen mox ab iisdem removere animus est, qui que nullum omnino ex iis sic inepte salutatis fructum sunt percepturi. Deinde, quod tempus quemque laborem his sapienter discendis linguis impendant adolescentes qui literarum exercendis studiis animum addixerunt; ejus impensi uberrimam jucundissimamque eos reportare mercedem, demonstrant: neque exspectari magis hic quam in rebus quibusvis humanis posse, ut nisi putamine fracto, nucleo vesci liceat. Porro pessime cum Scholis agi publicis ostendunt, si doctores iis præficiantur, qui fine versionum ope auctores intelligere ac explicare clas-

(*b*) Quod itaque consilium nec urgent alii, nisi qui rei totius plannissime ignari, cœcorum instar de coloribus judicantium, ridicule & turpiter socordiæ suæ atque inertiae præsidium hinc querere cupiunt; quales ex. g. in Foliis quæ Stockholmia eduntur Diurnis, nonnunquam vocem edere, proque insigni sc. sua sapientia, orbem eruditum gravissimo errore hactenus implicitum, meliora docere, si diis placet, instituunt!

classicos ipsi non didicerunt; neque turpi huic malo medelam afferri, si ruditati atque socordiae talium do-
ctorum pulvinos subjicere instituamus, atque animum
sic aliis etiam addamus ignaviæ sese eidem inertiaeque
tradendi, sed curandum potius, ut non nisi idoneis vi-
ris docendi provincia demandetur, utque hi lubentes
eam & suscipere & administrare velint. Quod au-
tem puerorum studiis, qui Græcæ Latinaeque linguæ
imbuendi sunt cognitione, versionum iis usu commen-
dando aut etiam permittendo, bene consuli putant;
in eo turpissimum committi errorem, contendunt: cum
a lingua originali diligenter, solide, feliciterque discen-
da nihil tirones efficacius cohibeat, quam si versiones
librorum explicandorum consulere integrum iis sit at-
que concessum. Longa hanc rem satis confirmavit
experientia; cautionemque toties a viris prudentibus
ac puerorum erudiendorum peritis inculcatam, ratio
ipsa comprobat. Impedit usus versionum, ne tiro si-
gnificationem verborum, rationem phrasium, formu-
larum vim & ingenium, studiosius investiget; a sensu
follicite indagando, adeoque penitus perspiciendo, sic
pueros arcet, qui versionem promtius saepiusque con-
sulunt quam sibi opus sit, ac libentius alieno quam
suo confisi judicio, serviliter translationi inhærent, i-
gnaviæ ac negligentiae adsvescunt, atque sic a recta
studendi via infeliciter abducuntur. Quare non ser-
viles modo illas ac ineptas, sed omnes omnino aucto-
rum explicandorum versiones, doctores sapientes e-
pue-

*) (

a puerorum manibus oculisque diligenter removendas esse, decernunt. Facilis nimis solutiorque studendi literis ratio, in universum minus laudanda judicari debet, non solidam profundamque, sed superficialem modo (ut non incommode hodie loquuntur) ac leviusculam, hoc est minus fructuosam pariens doctrinam; cui malo, ad quod amplectendum satis sunt pueri suopte ingenio propensi, ac nostra in primis aetate animi hominum vehementer jam feruntur, favendum minime videtur, nec alimenta illi subsidiaque esse praebenda. Observarunt dudum viri prudentes, morem qui invaluit minus consultum, Auctorum Græcorum editionibus versionem e regione Latinam (admodum illam quidem plerumque ineptam) adjiciendi, studio Græcæ linguae felici, haud parum nocuisse (c); nec hanc

B

caus-

(c) "Il est assez probable que les traductions latines, qui accompagnent ordinairement le texte des auteurs Grecs, nuisent à l'étude de leur langue. On aime à concilier le désir du savoir avec la paresse; ou peut-être qu'en ce cas c'est quelquefois ce désir même qui voudroit abréger la route, afin d'embrasser un plus grand nombre d'objets. Quoi qu'il en soit, plusieurs se bornent à la lecture de ces versions, & les croient suffisantes pour donner une juste idée d'un auteur, parce qu'elles sont très littérales. ---- Quand à ceux qui étudient la langue Grecque, on fait que jusqu'à ce qu'ils aient fait de solides progrès, leur œil se porte frequemment, & presque à leur insu, sur la version latine, & qu'en s'épargnant de la peine pour le moment, ils ne font que la retarder, & se préparer une plus longue étude. Toutes ces considerations feroient souhaiter qu'on purgeat les Auteurs Grecs de leurs versions latines. On ne verroit pas la monstrueuse association de l'elegance & d'un style barbare. L'acquisition des Auteurs Grecs seroit moins dispendieuse, & ils occuperoient moins de place dans les Bibliothèques, & probablement plus dans la tête des

caussam unam esse e levissimis, cur in hac quam in Latina discenda adolescentes minus eximios vulgo faciant progressus. Opus est pueris, peregrinam discere linguam cupientibus, editione modo auctoris explicandi accurata, doctoreque perito ac diligent, quem sincerum concitet studium discipulorum suorum profectus adjuvandi & promovendi; quo facto, ambiguis istis periculosisque auxiliis & facile & commode carent. Cæterum, ut erudit quidem hujusmodi versionibus haud egent homines (*d*), nec magnum iis premium statuere possunt, aut libenter illis utuntur, (quippe quæ,

litterateurs. Lorsque les lettres renaquirent, avant qu'on eut de bons dictionnaires, & de nombreux établissemens pour faciliter l'étude de la langue Grecque, cette langue étoit un secret entre peu d'adeptes, & ces versions étoient, par conséquent, plus nécessaires. Rein ne pouvoit alors affoiblir l'ardeur que l'on avoit de parvenir à l'intelligence des originaux; mais aujord'hui qu'on a tant de secours pour l'étude de cette langue, il paroit que ces versions nuisent à sa culture, & en retardent les progrès." M. BITAUBÉ, du gout national, considéré par rapport à la traduction (*Nouveaux Mem. de l' Acad. Roy. des Sciences & Belles-Lettres, de Berlin, A. 1779, p. 457 & 458*).

(*d*) Non enim eo adhuc turpitudinis ventum esse, credere debemus, ut qui literas humaniores ex instituto tracent, interprete ad Latinos saltim auctores intelligendos opus habeant: nec illud malum, quod metuendum nobis esse, atque adeo imminere, vix negare audeamus, hujusmodi consiliis accelerare oportet. Qui autem linguis non callent eruditas, ex accurate doctorum hoc numero ad alteram illam classem, jucundis tantum nec etiam severis literis studia tribuentem, eruditionisque laude haud ornandam, amandandi sunt. Græcarum literarum apud nos fatum durius omnino atque tristius esse, fateri cogimur; sed turpem hanc litterisque bonis infauastam illarum sortem levare potius, studiumque illarum excitare & promovere, aliarum quarundam politiorum gentium exemplo, quam magis etiam sufflaminandis & opprimendis operam addicere, sapientia jubet.

quæ, cum vel scientissime felicissimeque sunt conse-
ctæ, multum tamen ipsi auctorum originalium laudi ce-
dunt, vulgo autem ne sensum quidem auctorum apte
semper reddunt atque accurate, cui que confidere tuto
possis aut ubique debeas); ita mediocriter illorum etiam
studiis, qui severiores istas atque operosiores non at-
tigerunt litteras, aut his a pueritia instituti non fue-
runt, convertendis in vernaculam auctoris veterum
classicis, nos prodesse, minusque igitur vel jucundum vel
idoneum quam multi putant, menti illorum alimentum
præbere, non improbabiliter viri docti contendunt: au-
ctoribus autem his ipsis, atque universæ adeo reipubli-
cæ literariæ, parum hac opera sapienter feliciterque consuli,
addunt. Quod itaque ad literarum illos amatores
atque cultores attinet, qui eruditas, quas dicimus, lin-
guas aut non didicerunt, aut male callent, veterum
scriptorum vel accuratissime factas interpretationes
parum vel voluptatis iis allaturas, vel cupide ab
iis tractandas fore, hoc argumento efficere conan-
tur, quod peregrina tamen semper atque a nostris
moribus abhorrens horum scriptorum, in versione etiam,
nisi admodum infideli atque licentiosa, apparitura sit
facies, ac minus igitur his hominibus grata futura at-
que probabilis: quod sine aliqua, ac saepè insigni sane,
antiquitatis notitia, institutorumque, morum, litera-
rum veterum cognitione, (id vero est, sine apparatu
eruditionis haud mediocri,) hi auctores intelligi recte
ac facile non poterunt; quæ res, cum in Græciam

Latiumque animus quasi transferendus semper est, ut patere placereque oratio Auctoris queat, lectionem ejus & difficultem & molestam plerisque reddit, contra quam in libris solet recentioribus, Gallica maxime lingua exaratis. Adeoque *Rollinum* illi, sive si-
miles elegantes simul leetueque facillimos scriptores,
vel *Herodoto* vel *Livio*, *Voltairium Homero* atque *Vir-
gilio*, *Racinum Euripidi* ac *Sophocli*, &c. longe sem-
per praeferent; idque eo potius, quod res tamen ipsas
atque contenta librorum istorum veterum, recentiori
magisque familiari ac placente sibi forma proposita,
e novis libris minori & temporis & laboris impensa,
haurire sibi liceat.

§. IV.

Auctorum vero ipsorum laudi, qui e linguis cultissimis
Græca Romanaque in vernaculam transferuntur, hoc
consilio valde noceri, multis probare solent rationi-
bus. Fieri nempe haud posse observant, quin & aliena
& viliori multo veste induiti, longe appareant quam
ubi nativo ornati speciocissimoque cultu incedunt, tur-
piores. Communi enim omnium consensu constare,
scriptum quodvis ex altera in alteram linguam quasi
transfusum, multum de pulcritudine sua virtuteque
perdere: quod saepe cuique linguae, (in primis autem
egregie cultæ atque ad summum jam elegantiae ac
perfectionis fastigium evectæ,) eaque peculiares &
ei

ei quasi penitus implicitæ, sunt laudes, ex ingeniis ipsius populi qui eadem utitur, ex moribus, institutis, legibus, forma imperii, artibusque suis, ex climate, terræ situ atque conditione &c. enata (a); quæ in aliam transferri, aut hujus opibus plane ac feliciter exprimi, nullo pacto possint (b). Nec nisi certa quadam lingua, consveta sibi atque familiari, cogitare homines queunt; cogitataque sua, ideæ & sensus, ac horum omnium quasi formæ, colores & series, linguæ, qua utuntur indoli plurimum parent. Diversarum igitur (pergunt) admodum linguarum ingenii cum auctor & translator obsequuntur, (ut de mentis indeole in utroque fæpe dissimillima, nihil jam dicam, magnam etiam sine dubio in stilum ac orationem utriusque vim exercentem), sperare minime licet, ut exacte ubique hic cum

B 3.

illo

(a) Pulchre hæc persequentem vide Cel. *Bitaubé* loc. cit. I:re Mem.
A. 1775, p. 453 sqq.

(b) "Oriuntur in vocibus nonnunquam idæ quædam *accessoriæ*, ex peculiari vocis alicius usu; quæ propterea etiam aliis, vel ejusdem vel aliorum idiomatum, vocibus, easdem licet ideas primarias significantibus, non adhærent. Atque hæc ratio -- est, quare voces *unius* idiomatis vocibus *alterius*, idem licet qua ideam primariam significantibus, non semper exacte respondeant; id quod non exiguum in scriptis ex uno idiomate in alterum transferendis difficultatem fæpe parit;" &c. HOLEMANN *Log.* §. 65. Sed quam multa præterea accedunt alia, quæ translationem scripti egregii ex una lingua in aliam, reddant difficultem? Quam diversæ sunt plurium linguarum & interna structura & externa conformatio! Quod in alia breviter, uno fæpe verbo, id in alia non sine languida exprimi periphrasi potest; formulæ loquendi, allusiones ad mores & instituta &c. in alia usitatæ, in alia neque intellegi neque placere possunt. Quibus omnibus incommodis quomodo debitur interpres, ut elegantiam ymque auctoris illæsam servet? Etc.

illo concordet. De sonorum autem imitantium, periodorum, numeri & harmoniae, in utroque sermone diversissima ratione, interpreti nullo pacto conservanda, quid moneam? Ostendunt hæc satis, versionem textui auctoris excellentis originali, (in quo idonea maxime & unice interdum apta ille vocabula, phrases, tropos, figuræ, veneres aliis linguis ignotas, ad cogitata sua egregie exprimenda selegit), non posse non valde inferiorem semper evadere; neque rectam de hoc ex illa unquam ferre licere judicium: quod de versionibus auctorum veterum, multo etiam valet magis; cum quod eo difficilior translatio scripti est cujusque, quo magis in suo genere illud præstans est, quoque felicius auctor suæ linguæ divitiis atque virtutibus peculiaribus uti scivit, atque ad illarum sese indolem accommodare; tum quod illorum auctorum a nostris temporibus & ætas, & mores, & sermo ipse vehementer distet, cum inter hodiernas contra linguas Europæ cultiores & communis origo, & cognatio religio-nis, & commercium literarum atque morum assiduum, multo majorem pepererit convenientiam. Jubere qui-dem solent, ut quoties verba, formulas, tropos &c. auctoris sui, ob linguarum morumque differentiam exacte reddere interpres non valeat, alias iis substi-tuat ex suæ penu vernaculae deponitas, æque elegan-tes ac felices, quo pulcritudini imaginum ac vi sen-tentiarum nihil decedat; verbo, ita scribat, ut scriptu-rus ipse fuisset auctor, si eadem hac uti lingua sibi con-

contigisset. Sed hæc præscribere longe facilius est, quam exsequi(c): ac primum quidem, hoc adoptato more & hujusmodi admissis mutationibus, non sistentur jam eadem plane lectori spectanda tabula; deinde difficillimum erit auctoris verbis, tropis, numero &c. alia substituere, quæ nos desiderare ejus virtutes non cogant. Difficile etiam fuerit interpreti, hac ei venia concessa, a nimia sibi licen-

(c) Hujusmodi nempe libertatem cum fidelitate tamen interpretationis accurata conjungi jubent. Ita Domina D A C I E R , (quæ ipsa quidem preceptis suis parere adeo non valuit, ut laudem Patris Poëtarum versione sua nihil minus quam vindicaret' illustraretque), in Præf. ad interpretationem *Homeri*, a se editam, autumat: "Quand je parle d'une Traduction en prose, je ne veux point parler d'une traduction servile; je parle d'une traduction genereuse & noble, qui en s' attachant fortement aux idées de son original, cherche les beautés de sa langue, & rend ses images sans compter les mots. La première, par une fidélité trop scrupuleuse, devient très infidèle; car pour conserver la lettre, elle ruine l'esprit, ce qui est l'ouvrage d'un froid & stérile génie: au lieu que l'autre, en ne s'attachant principalement qu'à conserver l'esprit, ne laisse pas, dans ses plus grandes libertés de conserver aussi la lettre; & par ses traits hardis, mais toujours vrais, elle devient non seulement la fidèle copie de son original, mais un second original même; ce qui ne peut être exécuté que par un génie solide, noble, & secund. - - Il n'en est pas de la Traduction, comme de la copie d'un Tableau, où le copiste s' assujettit à suivre les traits, les couleurs, les proportions, les contours, les attitudes de l'original qu'il imite. Cela est tout différent. Un bon Traducteur n'est point si contraint. - - Dans cette imitation, comme dans toutes les autres, il faut que l'ame pleine des beautés qu'elle veut imiter, & enivrée des heureuses vapeurs qui s' élèvent de ces sources fécondes, se laisse ravig & transporter par cet enthousiasme étranger, qu' elle se le rende propre, & qu' elle produise ainsi des expressions & des images très différentes, quoique semblables." Et Auctores magni Dictionarii Encyclopædii Gallici, (*Dictionnaire Encyclopédique*, Art. *Traduction*) dicunt: *La Traduction - - - doit rendre la pensée, comme on la rendroit dans*

licentia temperare (d): vix enim continebit se a suis ideis, suis sensibus, iisque qui sibi maxime arrident coloribus, auctori saepe mutuandis; suæ gustus gentis ætatisque, consuetus sibi idearum ordo atque indoles, vernaculæ suæ peculiare ingenium atque habitus, clan-culum etiam atque inscio sibi imponet, ac ut a vera auctoris sui forma nimium recedat, pellicet. Quarum omnium rerum tanta est vis, ut ipse etiam auctor, eodem quo suus interpres collocatus loco, idem neutiquam, aut sibi per omnia similis, fuisset mansurus (e).

Ve-

le second idiome, si on l' avoit conçue, sans la puîser dans une langue étrangere. Il n' en faut rien retrancher, il n' y faut rien ajouter, il n' y faut rien changer. Optime! si hæc simul præstare interpres possit. Eadem tamen laudem sive orationum Æschinis atque Demosthenis contrariarum conversioni tribuit CICERO, qui *Nec converti*, inquit, *ut interpres*, (adeoque ad liberas illas suam voluit versionem referri), *sed ut orator, sententiis iisdem & earum formis, tanquam figuris, verbis ad nostram consuetudinum aptis: in quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere, sed genus omnium verborum vimque servavi.* Non enim ea me annumerare lettori putavi oportere, sed tanquam appendere. De Opt. Gen. Orator. C. V. Et C. VII. dicit: *Quorum ego orationes si, ut spero, ita expressero, virtutibus utens illorum omnibus, id est, sententiis, & earum figuris, & rerum ordine, verba persequens eatenus, ut ea non abhorreat a more nostro: quæ si e Græcis omnia conversa non erunt, tamen ut generis ejusdem sint elaboravimus &c.* Verum ratio admodum contingit, ut Demosthenes Ciceronem manuscatur interpretem! Et tamen longe facilius erat eum tunc Latine, quam ex. g. Svetice hodie reddere.

(d) Cfr. BITAUBÉ l. c. A. 1775, p. 476.

(e) Notum est, quantam in ipsa ingenia hominum, cogitandique & vim & modum, linguarum diversitas potestatem exerceat: quam rem, quæ occasione propositæ de hoc arguento a Reg. Scientiar. & Litterar. Humanior. Academia Berolinensi quæstionis, in lucem prodierunt scripta, pulchre exponunt.

Veros igitur justosque, quam difficulter hic sibi inter-
pretes, statuent limites! Quod vel comparatio aucto-
ris ejusdem, non diversis modo linguis ac diverso tem-
pore, sed eadē etiam ætate eademque lingua a di-
versis interpretibus, nec illis spernendis, conversi, fa-
tis superque confirmabit. Nihil igitur jacturæ ex hoc
instituto, egregiis scriptoribus Græcis Romanisque in
hodiernas linguas translatis, timendum erit? Quin pe-
riculum potius non leve ostentatur, ut vel ad verbum
conversi, inepto admodum turpique & minime sibi di-
gno conspiciendi habitu sistantur, vel liberius transla-
ti alieno nec omnino domestico aut convenienti sibi
ornatu induiti, oculos hominum subeant: quorum neu-
trum vel illis vel litteris esse potest proficuum. Cum
enim recte vereque ingenium eorum laudesque non
cognoscuntur aut sentiuntur, facile illis injuria sit ac
contemptus acceleratur immeritus (f), quod non raro
etiam, qui ornare, pro suo sensu Auctorem instituit
interpretes, eundem turpissime transformet atque a-
dulteret; qua re de manibus excutiuntur juventutis.

C

Qua-

(f) "La dispute sur les anciens & les modernes ... fut excitée par des Litterateurs qui n' avoient lu que dans des traductions la plupart des auteurs dont ils faisoient la critique; & la Motte fut assez ingenu que de l' avouer. Leur procedé peut être comparé à celui de ces gens qui, sur des rapports souvent faux ou équivoques, nourrissent une inimitié implacable contre certaines personnes, sans vouloir s' expliquer avec elles. On n' auroit pas du nommer cette dispute, guerre *sur les anciens*, mais *guerres sur les versions des anciens*. Et encore quelles versions! On s' en rapportoit aux moins poëtiques, & même on croyoit devoir consulter les plus littérales, qui ne présentent jamais qu' un hideux squelette." BITAUBÉ l. c. A. 1779, p. 457.

Qualem effectum versiones auctorum Classicorum in Gallia circa finem superioris seculi & initium præsentis habuisse, notum est. Neque putandum est, a versionibus felicioribus elegantioribusque nihil mali esse metuendum. Quo enim majori hæ laude feruntur, eo necessarium minus homines laborem judicant in auctore ipso adeundo suaque igitur perdiscenda lingua, exhauriendum. Quamobrem hic a paucis primum suscipitur, mox ab omnibus fere negligitur. Quod quam sit studio auctorum legendorum classicorum excitando, adeoque iis & rectissime & utilissime tractandis, inimicum, facile est ad intelligendum. Nec enim ob suam tantum cuiusque auctoris præstantiam, sed linguarum in primis antiquarum inde discendarum consilio, scriptis eorum legendis diligentiam plerique tribuunt; quo, ex plurimorum mente, versionum egregiarum ope minus jam necessario redditio, hæc etiam brevi cessabit: ac ipsæ tandem versiones tantopere celebatae, non multo post abjicientur. Notum enim est, novitatis studium quam vim in animos hominum exerceat; unde quam difficulter veteres hi auctores (lectu illi etiam, quod jam monuimus, plerisque molestiores), contra novorum semper subnascientium molimina, gustui suæ quæque ætatis, fluxo illi semper atque mutabili, blandientia & accommodatissima, principatum tuituri retenturique sint, haud ægre perspicitur. Abolita vero penitus veterum lectione, novi libri semper a succendentibus aliis trudentur, gustus (fir-
mis-

missima sua ablata destina) sensim degenérabit, perpetuusque hominum conatus nova semper ac insolita magisque exquisita proferendi, in studium cupe-diarum, argutiarum, cincinnorum, fuci, luxuriamque ingenii et ornamentorum quorumlibet, abibit. Quod fatum elegantiores litteras non semel subiisse, historiæ fide novimus; nec Græcorum tantum Romano-rumque idem exempla, sed recentiora etiam Italorum Francogallorumque, in eundem jam gyrum agi cœptorum, testata reddunt. Et tamen literarum scriptorumque veterum diligentes adhuc in illis gentibus gravesque & cultores & vindices superfunt; quorum consiliis quamdiu obtemperatur, auctoribusque veteribus juvenum studiosorum plerique a pūero adsuescere coguntur, illorumque virilem ornatum, simplicem & naturalem eloquentiam, gustum sanum atque accuratum, & admirari & imitari docentur; dubium non est, quin ideis homium, sensibus, judiciis, linguæque ipsi vernaculæ, magnum hinc lucrum acerescat (g). Quin, mascula veterum imitatione, atque studio eandem quam illi amant, in scriptis vernacula con-

(g) Scite Dn. BITAUBé, l. c. "Je ne disconviens pas que des traductions qui sont le fruit de longues études, ne puissent étre de quelque utilité, même aux Savans. Mais je ne fais si, à parler en general, elles n' ont pas été nuisibles, & s' il ne faut pas leur attribuer, en partie, la négligence de l' étude des langues anciennes. Avant que ces traductions fussent aussi multipliées, l' on étoit plus forcé de recourir aux sources, de se pénétrer de ces modeles, & chargé de ces riches dépouilles, on les redonnoit à sa patrie sous une forme originale."

dendis rationem diligenter persequendi, magis etiam quam operibus eorum in nostram linguam transferendis, hujus culturæ, elegantiaæ, atque flori confuli, non improbabiliter defendunt. Opes enim sic atque cultum scriptorum veterum posse sermoni patrio vindicari, suo tamen illis ingenio nativaque indeole haudquaquam erepta, nec habitu ad peregrini sermonis morem atque similitudinem frustra ac temere immutato, autumant. (h). Hac via longe plus ad Italicam, Francogallicam &c. linguas excolendas & ditandas, quam versionibus auctorum classicorum concinnandis, homines eruditos atque elegantes contulisse; quamobrem ex hoc eodem persequendo consilio ad nostræ etiam augendum vernaculae cultum, copiam, vim & svavitatem, multo fore plus adjumenti, quam ex diffcili & ancipiti versionum suscipiendrum labore redundaturum, esse utique quod speremus.

(h) Cultus linguae, præstantibus scriptis illa compositis vehementer adjuvatur. Originalia autem scripta cur versionibus laudem stili facile præripiant, bene indicat Cel. GARVE (Num. zur Fergusons Moralphilos. s. 420), dicens: Das weiß ich, daß es weit leichter ist, Gedanken die man selbst gehabt hat, aufs vollkommenste auszudrücken, als solche, die man von andern überliefert bekommt. In dem einem falle entsteht die Idee und der Ausdruck zugleich. Sie bilden einander, und haben also auch die genaueste übereinstimmung. In dem andern falle ist die Idee schon da; und die Wörter sollen für dieselbe gesucht werden. Der mensch muß selbst den Ausdruck nach der Idee bilden; diese übereinstimmung ist immer mangelhaft.

Sequentia errata typographica B. L. corrigat: P. 4 l. 5 & 6 redentem leg. reddens. P. 5 l. antepenult. redundatura leg. redundatura. P. 11 l. 4 cui que leg. cuique. P. 13 l. 5 plane leg. plene. l. 13 & 14 exercentem leg. exercente. P. 14 l. 9 restam leg. rectum. 15 l. 3 sistentur leg. sistetur. P. 16 nota (c) l. antep. manciscatur leg. nanciscatur.